DE I GEMINATA ET I LONGA.

Anno 1855 Coloniæ Agrippinæ eo quidem urbis loco cui nomen est Sancti Cuniberti coenobio lapis effossus est in utraque parte latiore hominum imaginibus ornatus et duas præ se ferens inscriptiones Latinas quas infra posui, alteram non ante Domitiani tempora factam:

D . M . C . IVL . MATERNVS
VET . EX . LEG . I . M . VIVS . SIBI
ET . MARI . E MARCELLINAE
COIIVGI . DVLCISSIME
T . CASTISSIMÆ . OBITAE . F .

contraria parte alteram hanc:

D LIBERALINIO . M
PROBINO TRIBVNO
-Q- PRAETORIANO ET
LIBERALINÆ -Q- PRO
BINAE . FILIAE . EIIVS BAR
BARINA ACCEPTA M
ARITO ET . FILIÆ . OBITS

Ad hos igitur titulos sepulcrales, quorum ego apographum a Kieselio, gymnasii Dusseldorpiensis directore, propense ac benivole mecum communicatum primus evolgavi p. 156 Annalium Bonnensium anni 1857, in præsens idcirco volui redire, ut illius singularis orthographiæ quæ cernitur in COIIVGI et EIIVS vocabulis caussa et origo orthoepica cum similibusque aliis scripturis intercedens nexus et accuratius et plenius quam adhuc factum esse video, explicetur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

CAPVT I.

Non uno loco apud antiquos grammaticæ Latinæ auctores traditum est, I literam inter duas vocales positam a veteribus geminatam esse, velut „maiius eiius.“ In quam rem, ut nunc alia aliorum testimonia taceam, valent verba Prisciani quæ sunt I 18 H: „Et i quidem modo pro simplici modo pro duplici accipitur consonante: pro simplici, quando ab eo incipit syllaba in principio dictionis posita subsequente vocali in eadem syllaba, ut „Iuno Iuppiter“, pro duplici autem, quando in medio dictionis ab eo incipit syllaba post vocalem ante se positam subsequente quoque vocali in eadem syllaba, ut „maius peius eius“, in quo loco antiqui solebant geminare eandem i literam, et „maiius peiius eiius“ scribere, quod non aliter pronuntiari posset, quam si cum superiore syllaba prior i, cum sequente altera proferretur, ut „pei-ius ei-ius mai-ius“. Huius autem orthographiæ caussa et origo inde sine dubio repetenda est, quod in pronuntiatione i literæ duabus vocalibus interpositæ duplex sonus audiebatur. Atque talem sonum re vera auditu ab antiquis esse perceptum, nunc satis habeo duobus probasse Valerii Probi testimoniis, quorum alterum est I 19 L „i litera cum fuerit medio vocalium, ita ut consonans sit, duplicem sonum reddit“ alterum I 43 L „i litera duplicem sonum designat, una quamvis figura sit, si undique fuerit cincta vocalibus“. Is igitur duplex sonus ut scribendo repræsentaretur, i litera geminabatur. Nempe fuisse omnino studium pronuntiationis accuratius significandæ ac plenius exprimendæ, ut, quantum fieri posset, concentus esset inter orthographiam et orthoepiam, hoc cum per se satis intellegitur et aliunde multis liquet vestigiis tum disertis evincitur verbis Velii Longi p. 2219 P hisce: „Ingredienti mihi rationem scribendi occurrit statim ita quosdam censuisse, esse scribendum ut loquimur et audimus“.

Quodsi quaeritur, a quo tempore huius geminationis usus inveniatur, is, in quantum res nunc videtur demonstrari posse, ultra Ciceronis et Cæsaris ætatem consuetudinemque non recedit. Ad hos vero hæc spectant tria testimonia; Quinctilianus scribit I 4, 14: „sciat (grammaticus) etiam Ciceroni placuisse Aiio Maiiamque geminata i scribere; quod si est, etiam iungetur ut consonans“; similiter Velius Longus p. 2219: „et in plerisque Cicero videtur auditu emensus scriptionem, qui et AIIACEM et MAIIAM per duo I scribenda existimavit; quoniam (scr. „*quod tamen*“) unum esse animadvertunt. Siquidem potest (scr. *posse*) et per unum i enuntiari, ut scriptum sit. Vnde (scr. Vnde, *quod*) illud pressius et plenius sonet, per duo i scribi oportere existimat. Sic et Troiiam et si qua talia sunt“. Ac Cæsar, et ipse sine dubio huius geminationis comprobator eis quidem libris, quos de analogia „in transitu Alpium“ ad eundem M. Ciceronem „scrupulosissimos“ scripsit, etiam adeo processit, ut per tria i Pompeiii genetivum scribi iuberet: id quod magis universe eam in partem videtur accipiendum atque interpretandum, ut triplicationem i literæ præscriberet non solum in genetivo singularis numeri sed etiam in nominativo et dativo plurali omnium omnino vocabulorum, quæ per-aiius et-eiius syllabas terminarentur. Quod quidem colligendum est ex Prisciani verbis hisce (I p. 14 H): „Pompeiii quoque genetivum per tria i scribebant, quorum duo superiora loco consonantium accipiebant, ut si dicas „Pompelli“; nam tribus i iunctis qualis possit syllaba pronuntiari?

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quod Caesari doctissimo artis grammaticæ placitum a Victore quoque in arte grammatica de syllabis comprobatur". Eiusdem autem illius geminationis non memoratores nullius momenti sicut alii grammatici, sed aperti nec dissimulantes patroni præter Ciceronem et Cæsarem extiterunt: 1) Caesellius (apud Cassiodorium) p. 2317: „Pompeiius Tarpeiius eiius per duo i scribendi (corr. „scribenda") sunt". 2) Marius Victorinus p. 2471: „Octavo (modo fit syllaba positione longa) si excipitur ab i litera duplicata, ut Troiia, aiio, Graiius, Aiiax"; idemque p. 2469: „sibi autem ipsa subiungitur (i) in his, ut aiio, Troiia, Gaiius (?), Aiiax". (Conicio hic quoque, ut supra apud eundem adhuc est, „Graiius" scribendum esse in ipso Vergilianorum vocabulorum consortio atque amplexu). 3) Diomedes p. 428 K: „septimo (modo positione longa fit syllaba) cum correpta vocalis desinat et interposita i excipiatur a vocali ut „furias Aiacis Oilei" et „Troiaque nunc stares" et „nate dea, nam te maioribus", quoniam inter duas vocales duarum syllabarum posita i geminatur. Sic enim scribi per geminatam literam metri ratione desiderat, si quidem potestatem tuetur duplicis consonantis"; 4) Maximus Victorinus p. 1946: „sic enim ista (Maiior Troiia) scribi per geminatam i metri ratio deposcit".

Triplicationis vero præter Cæsarem et Victorem illum solus nunc quidem commendator extat idem Caesellius (apud Cassiodorium) p. 2317 P his verbis: „quidam huius Pompei, Tarpei, hi Pompei, Tarpei, his Pompeis, Tarpeis [1]) per unam i scribunt: nonnulli pusillo diligentiores alteram i his addunt; ego quoque tertiam addendam præcipio. Si enim, ut docui, nominativus duo i habet pro duabus consonantibus, hae perire nulla declinatione possunt". [2])

CAPVT II.

Quodsi quaeritur, qualis tandem fuerit duplex ille sonus i literae duabus vocalibus cinctae, primum omnium firmiter neganda est ac plane reicienda grammaticorum ista sententia, secundum quam geminata i litera pro duabus consonantibus posita sit et hoc modo antecedentem vocalem positione longam reddiderit. Qui enim fieri potest, id quod Corssenus quoque recte animadvertit tom. I p. 128 operis illius, quod inscribitur „Ueber Aussprache, Vokalismus und Betonung der Lateinischen Sprache" — qui igitur fieri potest, ut haec eadem i litera modo habuerit hanc vim producendi antecedentem vocalem, modo non habuerit velut in his: bĭiugus, trĭiugus, quadrĭiugus, altĭiugus? Ac si re vera i litera ut consonans in pronuntiando geminata esset, poteritne, quaeso, facile intellegi ullo modo, cur tot annis post Ennium, cuius post aetatem, ut nunc nemo nescit, geminatarum consonantium usus non ita magno interposito intervallo iam per totam linguam Latinam frequentatur,

1) Delevi „his" voculam ante „Tarpeis" ex aequabilitatis ratione apertissima.

2) Quae his verbis insecuntur: „quae tamen omnimodis modernus usus excludit" aperte a Cassiodorio adiecta sunt.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

huius solius i consonantis geminatio sero demum inventa sit et introduci coepta non sine magna, ut infra apparebit, aliorum repugnantia? Sed potest ex ipsis grammaticorum indiciis perspici, quem sonum duplicata i litera re vera habuerit. In primis huc faciunt verba Velii Longi p. 2220: „Atque ipsa natura i literae est, ut interiecta vocalibus latius enuntietur, dum et prior eam adserit et sequens sibi vindicat"; item Caesellii apud Cassiodorium l. l.: „Pompeiius, Tarpeiius, eiius per duo i scribenda sunt et propter sonum, plenius enim sonant, et propter metra"; nec minus Prisciani hi tres loci: (I p. 37 H) „in Graecis vero, quotiens huiuscemodi (pictai) fiat apud nos diaeresis paenultimae syllabae, i pro duplici consonante accipitur, ut „*Μαῖα* Maia", „*Αἴας* Aiax"; ibid. p. 39: „Oe est quando per diaeresin profertur in Graecis nominibus et Graecam servat scripturam, per o enim et i ponitur, quae tamen, sicut supra dictum est, locum obtinet duplicis consonantis, ut „Troia" pro „*Τροῖα*" „Maia" pro „*Μαῖα*". in hoc quoque Aeolis sequimur; sic enim illi dividentes diphthongum *κόϊλον* pro *κοῖλον* dicunt"; itemque magni momenti sunt eiusdem Prisciani haec verba p. 1226 P. „Cur Troia cum apud Graecos diphthongon oe in priore habeat syllaba, non servat etiam apud nos? Quia in disyllabis[3]), in quibus *αι* vel *οι* diphthongi antecedunt apud Graecos sequenti vocali, diaeresim solent facere Latini plerumque, et pro consonante duplici accipere i, et eam a priore substrahere syllaba, et adiungere sequenti; quamvis antiqui solebant duo i scribere et alterum priori subiungere, alterum praeponere sequenti, ut Troiia Maiia Aiiax: hanc tamen consuetudinem habuerunt Aeoles imitantes, qui *κόϊλον* per divisionem dicunt pro *κοῖλον* et multa similiter dividunt".

Reiecto igitur grammaticorum isto vano commento i pro duplici consonante adhibitam esse somniantium, dilucide apparet hoc: Prior i litera cum antecedente vocali in diphthongi quidem sonum coalescebat unamque syllabam formabat, sed tamen per diaeresim pronuntiabatur; altera vero i, consonantis vice fungens ad insequentem vocalem trahebatur. Vt sonus i literae duobus vocalibus interpositae e vocali et consonante mixtus fuerit („vocalisch-consonantisch") et hoc modo possit eius pronuntiatio scribendo repraesentari: a͡ijo Ma͡ija e͡ijus Pompe͡ijus quo͡ijus cu͡ijus.[4])

---

3) Nam quod legitur apud Bedam p. 2352 P. . . . . „Troia, quae positio nonnunquam in metris in tres dividitur syllabas, ut est illud „Arma virum tabulaeque et Troia gaza per undas" (Verg. Aen. I 119), vix est quod moneam de solo „Troius" (*Τρῴος*) adiectivo trisyllabo intellegendum esse, non item, id quod Beda perperam sibi persuasit, de disyllabo „Troia" substantivo. Cf. Verg. Aen. I 248:

. . . . . armaque fixit
Troia, nunc placida conpostus pace quievit.

I 596: Troius Aeneas, Libycis ereptus ab undis.

4) Prorsus ad geminatae i literae similitudinem duo V hic illic se excipiunt, quarum prior vocalis, posterior consonans est, velut in his exemplis EVVANTI I. N 6310, EVVENVS 5279, INGENVVAE 3543, SVVIS 5714, SVVO 3789, ISTITVVIT apud Renierum Inscriptionum Africanarum 3815 et 3819, aliis, v. Grani Liciniani quae supersunt ed. hept. Bonn. p. 33.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sane in omnibus eius vocabulis, in quorum exitu -ēio suffixum extat, iam Corssenus (cf. l. l. p. 129 et Zeitschrift für vergl. Sprachforsch. V p. 87 sqq.) rectissime monuit luculenterque demonstravit, naturaliter longam fuisse e vocalem, profectam sine dubio ab ai diphthongo manifesta illa quidem in -aiio suffixo, quale in „Pompaiians" vocabulo Osco cernitur.[5]) In aliis vero vocibus iam Aufrechtius (v. Zeitschr. f. vgl. Sprachf. I p. 225 sqq.) evicit, vocalem antepositam priori i aut item naturaliter longam fuisse aut ad compensandam extrusae alicuius literae iacturam esse productam, velut in māior pro măgior, puleium pro pulegium ceteris. Ubi vero tales vocalium iam ante productarum caussae neque ab etymologia neque a formatione vocabulorum hucusque repeti possunt, velut in bāiulus cāiare māialis Bāiae Trāianus Rāia ēius hūius (cf. Corssenus l. l. p. 130), aut ubi vocalis i literam antecedens per se natura brevis esse dicitur, ut Terentianus quidem Maurus (vv. 619 et 620 ed. Lennep.) asseverat de Trŏia Măia pĕior iĕiunium vocibus: ibi vocalis ante i posita minime positione sed eo saltem evasit longa, quod i vocalis cum praegressa vocali in unam syllabam sive in diphthongum per diaeresim pronuntiatam coaluit hunc in modum: baïjulus caïjare maïjalis Baïjae Traïjanus Raïja eïjus huïjus Troïja Maïja peïjor ieïjunium. Neque etiam defuerunt grammatici, qui, quanquam i literae geminationem probavisse non videntur, i literam loco duarum consonantium habendam esse negantes potius diphthongum statuerent, teste Mario Victorino p. 2477: „Alii oi diphthongon volunt esse, ut sit pes dactylus (Troiaque), prima syllaba natura longa *Troi*, sequentibus duabus brevibus *aque*". (Cf. Schneideri Gramm. I p. 283.) Nonne eosdem hos „alios" admodum credibile est etiam in reliquis eiusdem modi vocabulis diphthongum fuisse probaturos? Item diphthongi indicio sunt sat multae transscriptiones Graecae, velut MANNEIOC I. N 2451, *ΦΟΝΤΕΙΟΣ* 3067, *ΠΑΝΤΟΥΛΕΙΟC* Murat. p. 968, 10, *CΑΥΦΕΙΑ* ib. p. 1180, 10, *ΦΟΝΤΕΙΟΥ* C. I. G 5837, *ΦΟΝΤΕΙω* 6297, *ΠΟΜΠΕΙφ* 6714, *ΟΥΕΛΛΕΙΟΥ* 3748, *ΒΕΝΟΥΛΕΙΑ* et *ΒΕΝΟΥΛΕΙΩ* 1994c p. 991 ceterae: quas quidem scripturas miratus sum a Corsseno l. l. p. 131 esse neglectas. A quibus differunt aliae, quas infra posui, scripturae, quatenus pro sola diphthongi manifesta significatione et diaeresim illam a Prisciano descriptam accuratius designant et -eio suffixo e vocalem iam naturaliter longam inesse monstrant manifestissime, velut *ΑΠΠΟΛΗΙΑ* 6270c, *ΚΌΚΚΗΙΑ* 4342 b3 p. 1160, [*Λ*]*ΟΚΚΗΙΟΣ* 3662, *ΜΕΣΣΟΥΛΗΙΑΝ* 2821. 2822, *ΜΕΣΣΟΥΛΗΙΟΥ* 2847, *ΠΟΜΠΗΙΑΝ* 6281, POMPÉIO apud Boissievium inscrr. Lugd. 278, *ΠΟΜΠΗΙΟΥ* 6671, *ΠΟΝΤΗΙΟΥ* 3028, *ΟΥΕΛΛΗΙΟΥ* 4494 aliae.

---

5) Quam multiplici mutationum varietate ingens fere nominum Latinorum copia gradatim descenderit non solum per — aeius — eiius — eius — iius terminationes, sed etiam, eiecta altera i, litera, per — aius — aeus — ēus — Ĭus exitus ad — Ĭo terminationis correptionem: hoc perdisci potest ex Ritschelii disputatione grammatica de sepulcro Furiorum, p. V sqq., ex Corssenique commentatione quae est in „Zeitschr. f. vgl. Sprachf. V p. 87 sqq." cf. eiusdem lib. de pronuntiatione linguae Lat. I 129, II 150.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

CAPVT III.

Sequitur ut doceatur, quo in vocabulorum genere adhibitus fuerit duplex ille interpositae i literae sonus e vocali et consonante mixtus, quem eundem Corssenus l. l. p. 132 uberius describit latiorem, molliorem, vocali similiorem. Qua in quaestione respiciens ad Prisciani verba (I p. 14 H): „pro simplici quoque in media dictione invenitur, sed in compositis, ut „iniuria“ „adiungo“ „eiectus“ „reice“, Corssenus l. l. usum ita distinxit, ut duplicem illum sonum mediis vocabulis simplicibus adiudicandum esse contendat, velut „Troiia“, abiudicandum medio loco quo compositorum vocabulorum partes coeunt, velut „eiuro“ „peiero“ „eiectus“ „deiectus“ „reiectus“ „proiectus“ „diiudico“. In universum sine ulla dubitatione hoc quidem rectissime. Sed de uno alterove eorum vocabulorum quae huc referenda sunt, scrupulus mihi iniectus est, velut de „coiunx“ vocula, cuius pronuntiationem „coïjunx“ sive aliquando sive hic illic extitisse, non videtur a probabilitate prorsus abhorrere. An quam aliam in partem explicandae aut unde tandem gentium oriundae erunt huiusmodi quatuor scripturae COIIGI h. e. COIIVGI apud Steinerum 994 (modo fides habenda sit isti auctori), COIVGI (de qua plura infra dicam) I. N 4911, .OIIVGI in Coloniensi apud Lerschium I 41, pariter COIIVGI in illo titulo item Coloniensi, quem in fronte huius commentationis proposui? Profectus autem ab his scripturis, quae nonnisi ab i litera in pronuntiando geminata suum habent explicatum, non magis assentiri Corsseno possum „proiiecit coiiicit eiiicit“ formas sine ulla haesitatione I p. 127 missas facienti: potius crediderim has ipsas formas, dispescendas eas quidem „proïjecit coïjicit eïjicit“ non sane semper nec ab omnibus sed sive aliquo tempore sive ab aliquot hominibus pleniore isto modo prolata esse, spreta ea quae plerisque omnibus in talibus verbis moris erat synaeresi „coicere eicere reicere“ al. Annon Gellius quoque dilatatae sive pleniori talium verborum pronuntiationi patrocinatur IV 17 „obiicere coniicere subiicere iniicere“ verba per geminam i literam et scribenda et legenda esse praecipiens? Item Quinctilianus „coiicit“ formam agnoscit I 4 p. 66 sic testificans: „Atqui i litera sibi insidit; *coiicit* enim est ab illo *Iacit*“. Cf. Lachmannus ad Gai comm. III 119. „Proiiecit“ autem scriptura memoratur a Mario Victorino p. 2477 P, inter relicuos Grammaticos Latinos primarium locum obtinente sive eruditionis copiam spectas sive fontium e quibus hausit bonitatem sive rerum quas tradit fidem. Vide Ritschelii epistol. epigraphic. Mus. Rhen. XIV p. 302. Marius igitur Victorinus haec habet:“ . . . . . si correpta per se vocalis literam sequentem i habeat inter duas vocales constitutam, ut „*Troiaque nunc stares*“. Hic enim o literae, vocali correptae, infertur i litera pro duabus consonantibus accipienda, quamquam et geminata i scribere iubeamur (Schneiderus Gramm. p. 656 parum apte mavolt „iubeamus“) ut „*Proiiecit fluvio penitusque in nubila fugit*“. Alii oi diphthongon volunt esse.“

„Coiiicit“ autem et „eiiicit“ orthographiae memoria continetur duobus Velii Longi locis, qui multum hercle abest ut integritatem suam servaverint. Ac prior quidem p. 2219 nunc volgatur tali modo: „Inde (h.e. a scribendo „Aiiacem Maiiam Troiiam“) crescit ista geminatio et incipit per trią i scribi coniiicit, ut prima syllaba sit communis, sequentes duo iicit: nam si est aliud, iacit, pro

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

a, i substituitur, ut vocalis obtineat, manente priore i, quae consonantis vicem implebat". Sed in his verbis duo emendanda videntur. Ac primum quidem, ut a re leviore sed apertiore incipiam, inverso ordine scribendum censeo „pro i, a substituitur". Praeterea „communis" istud ferri nequit. Numnam potest omnino „con" sive „prima syllaba" hic recte dici ullo modo „communis"? Quaenam sunt tandem syllabae communes? Respondeat unus Diomedes pro Grammaticorum toto numero: „Communis syllaba est longa in brevem vel contra certis observationibus versa" (p. 428, 30 K). Cuius deinde versionis septem omnino modi et haec quae infra posita sunt exempla ab eodem Diomede ibidem proferuntur: „vastosque ab rupe Cyclopas" „Albanique pătres" „orĕ fremebant" „taliă flammato" „te Corydon ŏ Alexi" „insulăe Ionio in magno" „emicat Euryalūs et munere" „ostentans artemque pater arcumque sonantem" „omnia vincit amōr" „ponitĕ spes" „nemorosă Zacynthos" „hīc vir hīc est" „terga fatigamūs hasta" „Aeneān hominum". Num quadrat horum quidquam ullo vel modo vel tempore in „con" syllabam? Minime gentium. Explosa igitur „communis" voce, quae tolerari nequeat, ac simul expulsa n litera in „coniiicit" vocabulo, potius sic scribendum est: „Inde crescit ista geminatio et incipit per tria i scribi „coiiicit, ut prima syllaba sit „coi", sequentes duo „iicit". Hoc enim, si quid video, librario alicui accidit, ut in „coi" scriptura messe crederet compendium „communis" vocabuli. Accedit quod haec ipsa orthographia etiam servata est apud eundem Velium p. 2232 loco adhuc obscurissimo nec a quoquam temptato, cuius hanc qualemcunque et emendationem et interpretationem nunc satis habeo breviter proposuisse, propediem autem alio loco depromptis ratiociationibus explicatius persequi in animo est.

Apud Putschium p. 2232 legitur:

Troia per i unum an per duo scribere debeam et coicit utrum per unum i, an per duo an per tria: utcumque est, non litera succedat i tacita et altera i succedat rursus altera manente priore, quae pro consonante posita est, et sic fiat eiiicit et coiiicit.

Videtur legendum:

„Troia per i unum an per duo scribere debeam*us* et „*eicit* coicit" utrum per unum i an per duo an per tria: utcunque est, non *e aut o* literae succedat i tacita,[6]) et altera i[7]) succedat rursus[8]), altera manente priore[9]) quae pro consonante posita est, et sic fiat „eiiicit et coiiicit".

CAPVT IIII.

Circumspicienti autem quatenus duplicatio illa vel adeo triplicatio i literae usu frequentata sit non potest ambiguum manere, quin putidiori huic enuntiationis repraesentationi multi adversati sint.

---

6) h. e. sed i litera ut vocalis ad antecedentem syllabam sive vocalem ita trahenda est, ut audiatur.

7) h. e. tertia ab initio.

8) h. e. rursus ut vocalis, quare etiam altera vocatur.

9) h. e. secunda sive media ab initio.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Etenim certum quoddam studium apud Romanos fuisse novimus sequendi simpliciorem commodioremque orthographiam, quale non solum in eo cernitur, quod pro longarum vocalium geminatione ab Attio inducta, a Lucilio impugnata „circa D. Augusti tempora" apice utebantur, sed etiam in eo apparet, quod „cessare sat frequenti more EI scriptura tum coepit, cum rursus nova doctrina grammaticorum invaluit, qua iuberetur I longa usurpari". Vide Ritschelii de epigr. Sorano commentat. p. 31 extr. Mus. Rhen. XIV 315. Ita incommodioris istius scripturae naturali quodam fastidio factum est, ut geminatio ista vel triplicatio haud universe increbresceret. Ac tale quoddam i geminandae re vera fuisse fastidium item colligi potest ex Marii Victorini verbis supra iam memoratis „alii oi diphthongon volunt esse"; nec aliter Donatus I 6 L. ex parte tantummodo usu propagatam esse i literam geminatam auctor est his verbis: „i literam, quam nonnulli geminant"; ac Velius Longus, qui „quoniam expedita debet esse conditio scribendi" (p. 2220) et ipse negat esse „alteram i necessariam" haec scribit p. 2219 P: „at qui Troiam et Maiam per unum i scribunt, negant onerandam pluribus literis scriptionem, cum sonus ipse sufficiat; hanc enim naturam esse quarundam literarum, ut morentur et enuntiatione sonum detineant". Quibuscum verbis coniungo alium locum eiusdem Longi, qui est p. 2236: „Coniunx et seiunx sine n putat Nisus esse scribendum, quoniam genitivo casu faciat coniugis et seiugis. Mihi videtur non evellendam hanc n literam, qua sonus enuntiationis insistit. Nam quamvis idem ait, non esse onerandam supervacuis literis scriptionem [10]), rursus non fraudandum sonum existimo *suis literis* [11])." His igitur duobus locis inter se coniunctis collatisque, vix dubium erit, quin inter alios Nisus quoque grammaticus, qui ante Traianum fuisse videtur et hoc inprimis intendisse, ut scriptura quam maxime simplex sit et expedita, etiam i literae geminationem impugnaverit. Ita cum dissuasione plurium grammaticorum tum putidiusculae huius orthographiae fastidio effectum est, ut geminatio i literae, quamvis et Ciceroni placeret ac Caesari aliisque grammaticis, haud quaquam universe usurpata sit. Id quod non minus evincitur inscriptionibus. Etenim in tota titulorum multitudine, ex qua hoc apparet posse pro certo concludi, num qua orthographia aut magis aut minus universe adoptata sit, triplicatae quidem i literae, quod sciam, omnino nullum reperitur exemplum [12]) duplicatae certe non tot, quot extare volgo concredunt. In Mommseni enim collectionibus haec tantum obvia sunt: ATPVLEIIVS I. N 432, OPETREIIAE 1502, SABINEIIVS I. H 43; praeterea EIIVS apud Gruterum p. 106 in Hispano titulo, EIIVS inscrr. Lugdun. p. 338, POMPEIIA Orell. 4356, EIIVS apud Lerschium II 48, III 14, EIIVS apud Steinerum 264. 316, SEIIVS 784, MAIIAE 751, RAIIVS MAIIVS CAIIVS apud Garuccium p.

---

10) *Scriptionem* non *dictionem* apud Cassiodorium quoque p. 2287 legendum censeo loco plane simili eodemque excerpto e Velio Longo.

11) Haec duo verba ex Cassiodorii l. l. videntur addenda.

12) In „*gra. i.*" scriptura, quae a Ribbeckio ad Vergilii Georg. IIII 148 e codice Bernensi (c 184) enotata est, latet sine dubio „Graiii".

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

16 dissertationis quae inscribitur „I segni delle lapidi Latine volgarmente detti accenti, Roma 1857, EIIVS bis apud Renierum I. A-3575. Quibus exemplis, omnino sedecim adhuc numero probabile est alia ab aliis adici posse, minime tamen permulta. In Graecis vero praeter *ΑΧΑΙΙΑΣ* C. I. G 1624 geminationis nullum videtur extare exemplum, nisi forte *ΑΠΠΟΛΕΗΟΥ* 3836 p. 1065 et *ΠΟΜΠΗΗΟΝ* 1132 perperam vel lecta vel sculpta sint pro *ΑΠΠΟΛΕΠΟΥ* et *ΠΟΜΠΗΙΟΝ* inque *ΠΟΜΠΕΙΙ* 1944 lateat *ΠΟΜΠΕΙΙΑ*.

CAPVT V.

At alia quaedam orthographia simplicior commodiorque saepius, quantum nunc video, quam i literae geminatio adhibita est. Vt enim breviter ac statim dicam quod res est, I longa quae vocatur, non solum eo usurpata est, ut productam vocalem indiceret, sed etiam hunc habuit usum, ut duplicem illum sonum e vocali et consonante mixtum, proprium eum quidem i literae duabus vocalibus interpositae, significaret. Sane apud Grammaticos Latinos de hoc ipso I longae usu ne unam quidem literulam inveniri, id harum rerum peritorum mirationem minime movebit; sed quo tenaciores illi sunt silentii, eo magis lapides clamant. Huius autem scripturae, quam in hunc modum explicandam esse iam Huebneri acumen coniecit quaestt. onomatologg. p. 25, vel nunc mihi innotuerunt quadraginta quatuor haec exempla: AGILEIA I. N 6429, AIAC 5119, AVRVNCVLEIVS 4488, COCCEIO 4195 (= 71 p. Chr. n.) COEIANVS 2178, COIVGI 4911, CVIVS 4077, EIEDIO 2125, EIVS 622. 961. 2809. 6385, POMPEIO 2809, POMPEIVS 6893, PROCVLEIO 5777 bis (bis tamen sine I longa), RAIAE 6066, ...VLEIAE 5127; apud Henzenum: EIVS 5860. 6428 (titulus est Augusti temporibus factus). 6791 (= 210 p. Chr. n.). 7372. EIVSD. 7260, STAIA 6060, TRAI 5505 (=215 p. Chr. n.); apud Boissievium: EIVS pp. 309. 481. 520, EIVSD. pp. 203. 211. EIVSDEM p. 206, MAIAE (bis) p. 606, POMPEIVS p. 429; praeterea PACTVMEIA apud Gorium II 389, 36, SAVFEIO apud Furlanettum lapp. Patt. 268, 291, EIVS Annall. Bonnenss. 1856 p. 189, PAQVIVS apud Garuccium l. l. p. XIII. COCCEIVS I. A 531, EIVS 606. 1572. 1573, TONNEIA 1226, POMPEIANO 1231. Haec igitur orthographia, ex qua I longae usus ultra notissimam productionis significationem pertinuit, pro nova quadam scribendi ratione statuenda est et multifariis in ipsa orthographia Latina factis novationibus adnumeranda. Ad quemnam vero auctorem talis I longae usus referendus sit, id non magis notum est, quam permulta alia, quae in historia linguae Latinae plane nesciuntur. Ad chronologiam autem respicienti mihi eiusdemmodi usus exempla suppeditant demum tituli post Ciceronem et Caesarem facti; etenim antiquissimum, quantum nunc scio, exemplum quod huc spectat, continetur EIVS vocabulo inscriptionis Henzenianae 6428 Augusti temporibus incisae. Quoniam vero ipsum hoc exemplum I longae duabus vocalibus interpositae tam prope abest a Ciceronis Caesarisque aetate, facile crediderim I longae interpositionem idcirco esse factam, ut geminationi a duumviris illis commendatae dedita opera deque industria repugnaretur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Collatis autem ac perpensis his omnibus titulorum exemplis Grammaticorumque testimoniis, quibus geminationis praesidium aut continetur aut non continetur, ex mea sententia Priscianus veritatis modum uno quidem loco aperte excedit lib. VII 19 H haec scribens: „idque in vetustissimis invenies scripturis, quotiens inter duas vocales ponitur, ut „eiius, Pompeiius, Vulteiius, Gaiius“: quod etiam omnes (?) qui de litera curiosius scripserunt, affirmant.“ Nec aliter hac ipsa in re Corssenus nimius fuisse censendus est, ut qui ad illa ipsa Prisciani verba adscribat haec I p. 128: „So ergiebt sich, dass diese Schreibart II in den ältesten Handschriften, die Priscian kannte, üblich war, und dass sie wie von Cicero so von allen (?) grammatischen Autoritäten gebilligt war.“

Interpositae autem I longae usum per temporum decursum persecutus vel tertio post Christum natum saeculo exemplum indagavi, quod conspicitur in TRAI vocabulo extante in Henzeniana inscriptione 5505, quae ad annum 215 post Chr. n. spectat. Sed, ut hoc in transcursu dicam, usus I longae quae significandae productioni inserviret, ne quarto quidem post Christum saeculo desiit: id quod evincitur PROPAGATORI scriptura, quae est in titulo Henzeniano 5587 ad annum 351 post Chr. referendo. Attamen quotquot memet maiorem amplioremque conspectum habent inscriptionum Latinarum recte et lectarum et descriptarum, etiam accuratiores quam a me modo factum est horum usuum terminos circumscribere poterunt.

Praeter frequentiorem hanc I longae interpositionem duo aliae inveniuntur scripturae, in quibus cognoscitur duplex alia scribendi novatio sive duplex interpositionis et geminationis coniunctio. Ac primum quidem in „aere Malacitano“ (quod incisum est intra annos 82 et 84 p. Chr. n: vide Henzenianam 7421 et Mommsenum in commentatt. societat. literar. Saxonic. II p. 455 sqq.) praeter MAIOR MAIOREM bis utrumque scriptum, MAIORIs semel, EIVS undeciens, etiam hae scripturae extant: EIIVS quindeciens, CVIIVS septiens, MAIIOREM semel[13]); haud aliter apud Garuccium l. l. CAIIARO (?) p. XII, CANVLEIIA p. 16: quibus formis manifestissime duplicis illius soni et vocalis litera et consonans simul repraesentantur, ita tamen, ut I longa nonnisi consonantis vice fungatur.

Multo rarior est inversa interpositionis et geminationis coniunctio, qualis est in quinque his exemplis: POMPEIIVS I. N 5537, COIIVGI EIIVS in duobus illis titulis Coloniensibus quos in principio proposui, praeterea in titulis item Coloniensibus, EIIVS apud Lerschium I 6, .OIIVGI I 41: in quibus eadem I longa contrario ordine tantummodo ut vocalis ad antecedentem vocalem trahitur. In utraque igitur hac interpositionis et geminationis coniunctione simplex I longa aperte debilitata est vel degenerata a pristina sua vi et officio, ex quo sola per se duplicem illum mixtum e vocali et con-

---

13) Ad quae Mommsenus l. l. haec adnotavit: „Diese Schreibung (II) ist so vorherrschend in der Urkunde von Malaca, dass man die entgegenstehenden Beispiele wol auf Rechnung der Nachlässigkeit des Graveurs setzen darf; dagegen findet sich keine Spur von ihr in der Urkunde von Salpensa — also folgten zu Domitians Zeit zwei römische Concipienten öffentlicher Urkunden verschiedenen orthographischen Regeln.“

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sonante sonum significaret. Quae quidem ipsa debilitatio vel degeneratio I longae haud inepte comparari posse videtur cum similibus aliis orthographiae Latinae depravationibus, quibus factum est, ut non solum eidem I longae antea per se indicanti productam vocalem, sed etiam AE diphthongo nempe naturaliter productae insuper etiam apex, sive signum productionis imponeretur, velut in his: DÍS I. N 6643, CÍVI 2569.

FABIAÉ I. N 2336, CAÉSONIA 2534, CORNELIÁE LACAÉNAE ÁESERNNOR 5252, ÁEDILÍ PRÁEFECTO 2096, MELISSAÉAE 2327; HELVIDIÁE PRISCILLÁE FILIÁE DVLCISSIMÁE Fabr. p. 167, PRÁEF . ÁED ib. LÁETILIA ib. p. 168, 322; PROVINCIÁE Boiss. Inscrr. Lugd. p. 265, GALLIÁE p. 278, MEMORIÁE SEVERÁE FEMINÁE SANCTISSIMÁE CALPVRNIÁE p. 508, CATILLÁE p. 519, 80; AÉSTVET Renieri I. A 3976[14]); nonnulla alia huius modi exempla iam indicata a Ritschelio Mus. Rhen. XIV 319.[15])

---

14) Apices video in I. A esse rarissimi usus; etenim hi duo tantum tituli, dico 3954 et 3976, apicatas exhibent vocales in his solis vocabulis, alter NAMPHAMÓNI PATRONÓ, alter HÓC TVMVLÓ ANNÓ CÁSIBVS AÉSTVET INFÁNTIS.

15) Inferiore linguae Latinae tempore, intereunte magis magisque antiquae prosodiae severitate atque amissa vel neglecta in pronuntiando similium sonorum accurata distinctione, duo alia quoque linguae scripturaeque apparent vitia, quae ad eiusdem AE diphthongi usum sive potius abusum pertinent. Sublato enim ē et ae sonorum discrimine, consectarium fuit, ut e longae loco scriberetur ae diphthongus; (non de hoc ipso sed de contrario usu ē soni signati frequentissime pro ae diphthongo dixit Corssenus I 185 sqq. v. Lachm. ad Lucr. 339.) Praeterea cum per communem fere prosodiae interitum pronuntiandique ingravescentem depravationem tantum non omnia confunderentur, eo turbationis etiam scriptura pervenit, ut in titulis codicibusque AE diphthongus ĕ vocalis correptae locum sescentiens occuparet. Cuius duplicis vitii haec exempla curavi coacervanda, quorum ea quae ad AE diphthongum E correptae vice fungentem spectant, consimilium exemplorum copiae a Corsseno II 391 iam prolatorum accedant:

Aelatus Isidori Origg. X 8 p. 319 L, Aenormis ibid. 14 p. 320; CAENSOR v. Quaestt. orthoepp. p. 19; POSVAERVNT I. N 5602, CATAENAE 5323; AEMERITVS I. A 739, AEVOCATVS 1429, CAEIONIVS 120. 1520, AEIVS 1759, AEDIDIT 1832, FVSAE 1833 (adv.), AEMINENTISSIMI 3089 (e Vandalorum tempestatibus), INLVVIAE 3289 (abl.), COCCAEIA 3357.

AEA Fabr. p. 85, 152, AEAM p. 144, 165, AECO p. 102, 238, AEORVM I. N 2863, AEORVS Fabr. p. 155, 248, AEPAGATHVS ib. p. 206, 50, AEPHEBVS I. N 6445, AEPVLANTIBVS 5602, AEPVLVM 5792, SAEPELITAM 3137, SAEPVLTVRAE Fabr. p. 107, 253, HAERENNIAE I. N 3141, GAESTA 2503, PVAELLAEQ 1354, QVAERELLA Fabr. p. 256 et p. 258 VENDAERE VOLVAERIT INFAERET ib. p. 85, 152, LIBERTABVSQVAE I. N 3542, SIVAE Fabr. p. 107, 253; NAESTOR I. A 276 (NAISTOR 3357), CAELASIA (Gelasia) 687, PRAECOR 782, 1653, SVISQVAE 1651, PRAEPVSA 2075, MAEMORIAE 2520, 3747, TOTAQVAE 3664, HAERENIA (bis) 3731, AEQVITI 1916. Nec aliter, ut hoc quoque addam, in Graecis scripturis EI et AI diphthongos ad simplicium ι et ε vocalium sonos attenuatas esse apparet ex his, quae adiciantur paucula permultis exemplis a Corsseno I 232 depromptis: *Φλωρέντεια* apud Suid. s. v, *τραβαία* et *τραβαίαν* apud Lydum p. 10 Bonn., *TEPENTELANOY* C. I. G

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quodsi orthographiae in I litera versantis varietas omnis quae adhuc pertractata est uno conspectu ac certo adhibito exemplo comprehenditur, quincuplex evadit haec: EIVS, EIIVS, EIVS, EIIVS, EIIVS.

6641, *ΝΟΝΕΙΟ* (Nonius) 2322 b 84 p. 1049, *ΠΟΝΠΗΕΙΟΥ* 5059. De proprio hoc sono (*Πονπηείου*), qui ante labiales B, P, PH consonantes medius fuit inter M et N literas, disputavi Mus. Rhen. XIV 639 sqq. Exemplis ibidem prolatis praeter *Αμενφες* C. I. G 3, *Ολυνπιῳ* 11, *Ολυνπιου* 30, *ΛΑΝΠΑ[Δ]ΑΡΧΟΥ* et *ΛΑΝΠΑΔΑΡΧΗCΑΝΤΟC* 2396, *ΑΜΕΝΠ[Τ]ΟΥ* 2687 permultaque passim alia, quae nunc enumerare longum est, accedunt haec ex I. A petita: BONBIA 4160 iuxta BOMBIA 279, CANPANVS 2230, PONPONIA 1091, PONPONIVS 2546. 3729, SENPER 4346, SEN[PER] 4342, ANFITHEATRI 3287. Ab his profectus sponte eo adducor, ut in Renieri titulo 2123

D M
VNERIVS
PRIMVS
VA LXXV

VNERIVS nomen, cuius, quod sciam, alibi nec vola nec vestigium, crediderim falso lectum esse pro VNBRIVS h. e VMBRIVS v. 1326. 1327. 1328. 90 C, 8; VMBRIA est 4182. Mediocritate autem sive infirmitate medii huius soni effectum est, ut saepius et M et N scribendo neglegeretur, velut TEPORE I. A 1647 *Νυφέων* v. Mus. Rhen. XIV 533, SEPER Murat. 972, 9, *ΟΛΥΠΙΚΟΣ* C. I. G 284 *ΣΑΛΥΠΡΙΑΝΟΣ* 888, sireps v. Mus. Rhen. VIII 302 sqq.; cf. Ribbeck. in Ann. philol. 1857, 307 sqq. Corssen. II 65. 92.

Indidem ex I. A liceat mihi, hac opportunitate scribendi data, augere sat magno numero ea exempla, quibus apparet, posteriore linguae Latinae aetate in pronuntiatione S consonantis principio vocabulorum ante P, C, T literas positae I vocalem esse auditam: qua de re dixi post alios Mus. Rhen. XIV 638; habeo igitur enotata haec: ISPECVLATOR 489, ISPENI[KA] 1138 (cf. SPENIKA 589), ISPE 2270, ISPOR[TVLIS] 1867, ISPOSE (= sponsae) 1233, ISPICVLVS 3185, ISPIACI (?) 3745, ISCANTIVS 129, ISTATERE 861, ISTR[ATOR] 1045, ISTERCVLA 1273, ISTANTIVS 2031, ISTATIANVS 2351, ISTATIA MATERONA 2425, ISTABLICI 3446, IST[IPE]NDIIS 3742.

CORRIGENDA.

pag. 8 linea 24 scribe *duabus*
pag. 9 linea 1 scribe *eis*
pro *ΠΑΝΤΟΥΛΕΙΟC*, pag. 9 linea 21, sero vidi Boeckhium in C. I. G 339 recepisse *ΠΑΝΤΟΥΛΗΙΟΣ*.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf